NICOLAI BERALDI DE VETERE AC NOVITIA IVRISPRVDENtia Oratio, recognita ab autore & aucta.

Cum erudita ad antiquorum lectionem ac studium exhortatione.

VIRTVTE DVCE, COMITE FORTVNA.

LVGDVNI APVD SEB. GRYPHIVM,
M. D. XXXIII.

NICOLAVS BERALDVS GVIELMO BVDAEO S. D. P.

MASSILIA Lugdunum reuersus in regio comitatu, literas ad me tuas amicis quibusdam iisque optimis ac eruditissimis hominibus legendas dedi. Quibus quòd scriberes Orationem hanc nostram, quam Tholosæ habiturum me sperabam, quanquam ea potissimum gratia Lugduni obiter scripseram, tibi totam quidem probari, sed aliquātò tamen uideri breuiorē, quòd rem uidelicet eam, de qua in ea ageretur, multò uberius ac fusius explicari posse uideres: existimaui adden da ea quæ prius consultò, neque, ut puto, temere suppressa fuerant, ne tibi summæ doctrinæ acerrimique iudicij uiro hac parte, quoad eius fieri posset, non satisfacerem. Magnopere enim mea referre puto, quid tu de meis & studijs & scriptis in utrāuis partem sentias. Quo lubentius etiam à me fit, ut Dialogum mihi, nuper in Francisci Claromōtani Legati Aueniorensis Sorgano secessu natum [illegible] quo rationes aliquot exponere conor, quibus dicendi ex tempore facultas parari possit, non prius exire in manus hominum patiar, quàm lectus abs te sit & non improbatus. Iulium Camillum uirum eruditum & candidum, audio & gaudeo esse tibi iam familiariter amicum. Eum profectò & libenter uidi Lugduni, & istic uidebo multo etiam libētius, cum primum hoc ærumnosissimo uitæ genere defungi ac liberari contigerit. Hic enim, ut ille inquit, adhuc sequimur κόρακας testaque lutoque, propemodū incerti quo pes ferat. Vale. E Sangenino oppido ad Lugdunum. Cardinalis Castellionensis te, uxorē, ac liberos etiam atque etiam salutat. Vale iterum. Calendis Decembris.

NICOLAI BERALDI DE VETERE AC NOVA IVRISPRVDENTIA ORATIO.

DICTVRVS hodie de lege, legisq́ ortu ac principio, clarissimi uiri, uos omnes primùm, ut debeo, obsecro, ne me meapte sponte, ac non potius aut amicorũ precibus, aut eorũ uoluntate, quorum autoritatẽ nullo modo contemnere, ac iussa detrectare debeam, adductum, cõscendisse huc putetis. Non ita insanio, uirium mearum, aut mei etiã oblitus: neq́ mihi tantum arrogo, ut hunc nobilẽ suggestum mihi putem esse conscendendum, deq́ eius artis ac disciplinæ natura ac ratione dicendũ, quæ nõ modo uobis omnibus nota sit ipsa, ac propè familiaris: sed quæ celeberrimam etiam hanc uestram Academiam, ceu domicilium ac sedem sibi felicissimã olim delegerit: in qua cum orbi ipsi, tum Galliæ nostræ potissimum uniuersæ spectandam sese ac amplectendam præberet. Non ignoro quæ, quantaq́ sint ea, quæ præstantissimi Academiæ huius principes, ac illustres iurisprudẽtiæ professores efficere ac præstare soleant: quantulũ uero id sit, quod uel exigi à me, uel

expectari debeat, qui nec subtiles istas argutias, quibus ius ciuile explicari consueuit, per ætatem didicerim, nec iuris adyta penetrarim, sed ad alia me studia, partim meo quodam ac priuato iudicio, partim amicorum consilio atq; hortatu cõuerterim à uestræ huius excellẽtis splendidæq; professionis magnitudine ac præstantia longe lateq; dissidentia. De quibus si quid hodie uobis audientibus disserere uelim, uereor, ne actum, quod dicitur, agere uidear, qui ea dicere instituerim, quæ ut humilia atq; abiecta facile cõtemni possint ac reijci, non nisi certe eius generis sint, ut felicissimo hoc seculo, quo disciplinæ omnes exerere sese rursum, ac proferre cœperũt, ignorari nequeãt, nedũ uobis ignota esse possint, qui ad hanc pulcherrimam iuris disciplinam optimarum artium omniũ sciẽtiam adiũxistis, orbemq; illum aureum absoluistis, quo artes omnes ad humanitatem pertinentes ceu perpetuo quodam, atque, ut sic dixerim, indiuiduo uinculo ita continentur, ut non prius singulæ teneantur, quàm simul omnes. Ac ne quis forte existimet eam me interpretandarũ legum rationẽ ac uiam contempsisse, quã celeberrimi æui huius iuriscõsulti & secuti sunt, & hodie quoq; sequuntur: equidem uobis me bona fide aperiã, neq;, quod ingenui esse hominis arbitror, dissimulabo, eadem me olim uestigia ingressum, cum eximijs etiam professoribus nonunquã in certamen descendisse, & identidem ad intermissa hæc studia ad-

hucc

A

huc respicere: sed rei tamen difficultate ac magnitudine deterritũ, ignobiles alias arteis esse secutũ magno earum rerum dispendio, quas pleriq; mortales uel solas propemodum, uel certe præcipue expetendas esse ducunt. Nam iuris ac legum principia ac fines scrutanti (ut fit) mihi primum se legis ipsius definitio offerebat, quę ratio summa diceretur insita à natura, quæ honesta iuberet, uetaret cõtraria, ac turpia. Quæ quidem legis seu finitio, seu descriptio hoc ipso primũ me male habebat in rationis uocabulo hærentem, quòd rationem quidem esse aliquam humanã sæpe inaudieram diuinæ illius mentis particulam quãdam ac ceu scintillam diuinæ lucis, cuius à Philosophis mirificæ quædam uires esse dicerentur. Quid autem summa ratio esset, neq; assequi ipse poterã, neq; quenquã inuenire, qui quod maxime scire cuperem, mihi aperte dilucideq; exponeret. Rationem, enim humanã ita infirmam debilemq; esse uidebã, ut eã legis animã (quod multis persuasum esset) esse ut crederẽ, adduci nullo modo possem. Quod uero rationem summã quidam acutiores Deum esse dicerent, uniuersi legem quandã sempiternã, id uero mihi paulò subtilius esse uidebatur, quàm ut auido, ac uerũ auidè exquirenti mihi satisfacere posset. Probabilius id mihi uideri poterat, quod ab alijs traditũ esset, si quidẽ intelligi à me posset, summam rationem esse humanã rationẽ, ab ortu quidem suo ac principio infirmam ac imbecillam, sed

 tacitis

tacitis auctibus ac incrementis eousq; progressam, ut perfecta dici, ac summa nō immerito posset, quatenus summa perfectaq; & dici & esse possunt, quæ cadere in hominē solēt, quæq; eius cōditionis propria sunt, qua à summo Deo generatus homo esse diceret. Audieram id quidem ac sæpe, hominē præclara quadā conditione à summo rerum omniū opifice conditum esse, esse animal prouidum, acutū, memor, orationis ac rationis capax, eiusq; intelligentiæ, cuius egent prona & terram spectantia, quibus animas tantum à mundi initio cōmunis conditor dederit, quum nobis animū quoq; tot eximijs septum præsidijs, tot ornamentis prēditū inseuisset. Sed ut uerum fatear, perobscura illa mihi uidebantur, &, propè dixerim, coacta, quæ de ratione summa ab istis in legis definitione pluribus dicerētur. Quid enim obscurius, quàm cum natura longius progressa, & ab ijs ex quorum prima & inchoata intelligētia genera cognoscat, nullo etiā docente in longum euecta, rationē confirmare dicitur ac perficere: quę perfecta ratio, & ut ab istis dicitur, summa sapiētia rite, ut putant, nominatur. Neq; uero minus obscurum, quod de lege summa ab ijsdem dispu tatur, quæ lex scripta non sit, aut scripto sanciens aliquid, aut iubens, aut uetans, sed lex innumeris seculis nata, priusquam scripta, aut priusquā Respub. aliqua aut ciuitas constituta. Porrò quòd naturæ semina quædam nobis inesse dicūtur, quæ sequi, quæ alere, multisq;

multisq́; & uigilijs & sudoribus augere unusquisque
debeat,quodq́; igniculos quosdam ab eadem natura
hominibus datos, qui diligentia ac studio foueantur,
ignauia ac socordia ceu extinguãtur ac opprimantur,
multo etiam subtilius disputãt isti & obscurius. Quis
non uidet ad scriptæ legis ac cõstituti iuris substantiã
(utar enim eorum uocabulis) nihil attinere? Pulcher-
rime profecto disseruntur ea, à iurisconsultis etiã ipsis
tradita,& è medijs Philosophiæ adytis eruta,quæ de
naturali inter homines cognatione,de communi ciui-
tate ac societate,quam inter se & homines Deus Opt.
Max.constituisse creditur,quæri ac dici ab ijsdem so-
lent:sed in medijs litibus frigent ea, quæ nec ab occu-
pato,aut etiam indocto iudice libẽter audiũtur, & ad
singuloꝝ causas nihil omnino pertinent. Quæ cum
ipsa contemni ferè uiderem, & iuriscõsultis tamẽ ma-
xime necessaria iudicarem,nõ inuitus feci, ut ad alias
me arteis accingerem,quòd omnino ex eorũ numero
esse nollem,qui desidiæ diuerticula secuti, ad albũ se,
ut Fabius inquit,ac rubricas transtulerunt:& formu-
larij,uel,ut Cicero ait,leguleí esse, quàm Iurisconsulti
maluerunt.Sed ne sic quidem ab eius seu artis,seu fa-
cultatis studijs abhorrui,ut nõ ea etiam interdũ nosse
uellem,quibus singulares actiones tenerẽtur, & forẽ-
ses controuersiæ dirimerentur. Iurisconsultoꝝ me ta-
men ueterum lectio,seu,ut dicam uerius,amor quidã
eximius magis tenuit,qui & solidæ synceræq́; doctri-
næ

næ plus habent ac iudicij, quàm nouitij isti, & ab anti quis tum Philosophis, tum legũ latoribus, minus ab- esse existimãtur. Nisi fortè adhuc sint indocti quidã, ac stolidi, qui Demosthenem ac Ciceronem iuriscon- sultos fuisse negent, quorũ alter Atheniensibus quoq; ipsis leges quasdam ac instituta scripserit, alter de uni- uerso iure ciuili Romanorũ, quod immensum indige- stumq; esse iudicaret, in ordinem ac artem redigendo cogitarit. Cæterum quæ de iuris magnitudine ac diffi cultate à me dicta sunt, non eò pertinent, ut legum ac iuris sciẽtiam, quæ nunc in omnibus penè gymnasijs traditur, usq; adeo esse censeam difficilem. De uetere illa iurisprudentia loquor, legumq; decemuiralium perceptione ac intelligentia, quarum libellũ unum Ci cero sibi uideri ait Philosophorũ omniũ placita ac di- sputationes, & sciẽtiæ magnitudine, & causarũ perue stigatione superare. Et sicuti Medicorũ quidã non cõ- tenti morborũ nosse remedia, causas etiam in natura positas acute peruestigarũt, ita ueteres illi iurisprudẽ- tes, quibus artis suæ fructum non ex aduocationum stipe, ac prorsus illiberali quæstu, sed ex animo suo ac suauissima rerum cõtemplatione petere propositum erat, perpetuum illum quidẽ, nec ullis casibus obno- xium, honesti fontes ac caussas scrutati, immortalia ac sempiterna Vigiliarum suarum monumẽta nobis po sterisq; reliquerunt. Id porrò quàm sit operosum ac difficile, uel ex eo uno intelligi potest, qđ ex summo

illo

illo Naturæ iure ſcita ac decreta ſua excipere, & ad li tium ac negotiorꝝ,caſuumq́ꝫ uarietatem accõmodare ſine demonſtrationũ ratione non potuerint. Quàm uero id ſit item arduum,eo uno probari poteſt,quòd earum tractatio non cuiuslibet,ſed eius tantũ ſit, qui antiquorum diſciplinis omnibus excultus atqꝫ inſtru ctus,uel ad docendũ, uel ad ſcribendũ uenerit. Vere enim mihi uideor dicturus, non modo potẽtiſsimas, ac efficaciſsimas eorũ apodixeis,qui Mathematici uo cantur,ſed demonſtrationes etiam omnes,naturæ le ges & eſſe,& dici nõ immeritò poſſe. Qui ergo ceu di ctãte Natura leges exceptas uel ſuis ciuibus dederũt, aut adhibita etiam cauſarum ac rationũ explicatione, ſeu uoce, ſeu ſcripto eas interpretati ſunt, in re longe maxima, longeq́ꝫ omnium difficilima præclariſsimè mihi uerſari uidentur. Nihil igitur mirum ſi à rei pul cherrimæ quidem,atqꝫ excellentiſsimæ ſtudio deter reantur quamplurimi, cum eius ne ulla quidem,aut certe perquã exigua ac tenuia ueſtigia ſuperſint, uſqꝫ adeo ab illorꝝ inſtitutis ceu degeneres, nec ſatis legi timi fœtus pleriqꝫ omnes deſciuimus, qui præclara omnia,nec digna profecto quę à nobis temerarẽtur, aut certe nouo quodam,ut ſic dixerim,mangonio in terpolarẽtur,peperere: Poſtulabat hic locus,ut artes ac diſciplinas omnes ab optimis illis patribus inuen tas,atqꝫ excultas, ab indoctis uero arrogantiſsimisq́ꝫ ſophiſtis ac tetris ſcarabęis corruptas deploraremus, niſi aliò properaret oratio. Commemorari profecto

illa sine maximo ac iustissimo dolore nequeunt. Nec desunt tamẽ laruæ quædam, atq; abominati spiritus, ut Plinij uerbis utar, qui densissimis tenebris assueti, lucem perferre nequeant, sed ad antra mox sua refugiant, & canum more miserãdis latratibus sua uulnera solentur. Cæterum ut eò tandem redeamus, unde huc digressi sumus, sæpe equidem ius istud uestrum (ius dico ciuile, ac proprium Romanorũ, cuius professores toto orbe notos ac celebres Tholosana hæc Academia permultos habuit olim, habetq;) sæpe cũ aliarum ciuitatum iure ac legibus contuli: idq; eò feci libentius, quòd eo uno magna ex parte uti Galliam hanc nostram, iuraq; ciuitatum nostrarum, siqua ciuitatum propia essent, &, ut ita dixerim, municipalia, haud ita multum à Romanorum legibus ac moribus distare, constaret. Qua quidem ex collatione id unum assecutus sum, eoq; reputandis ac colligendis multis adductus, ut crederem, planeq; confirmarem, eo ipso Romano iure nihil humanius, nihil æquius excogitari ac scribi unquã potuisse: neq; dubiũ esse, quin, quum olim constituto imperio exteris gẽtibus à S. P. Q. R. iura darentur pleræq; immanitatem, barbariemq; acceptis Romanis legibus exuerint: & non ciuiliter modò, sed sancte etiam atq; incorrupte uiuere cœperint. Adeo nulla est uitæ pars neq; publicis, neq; priuatis in rebus, neq; siquid, ut Cicero ait, solus agas, neq; si cum alio cõtrahas, quam sacratissima hæc iuris scientia nõ formet ac instituat. Quo magis

gis laudandi sunt, cum qui docendo, interpretando, scribendo, iudicia exercendo, disciplinam hãc multo pulcherrimam tuentur ac seruant, tum uero qui eius maiestatem ab ineruditis quibusdã, loquacissimisq́ꝫ scriptoribus oppressam, ac penè iam euersam, restituere, eq́ꝫ barbaroꝝ faucibus eripere conantur. Qua quidem in re à nonnullis iam ita feliciter laboratũ est, ut sperare posse uidear, breui fore aliquẽ, qui, cum ad hanc artem unam aliarum etiã cognitionem, fusæq́ꝫ ac facũdæ orationis facultatẽ adiunxerit, ueteris illius iurisprudentiæ simplicitatem ac nitorem nostris hominibus reddat. Cui quidem sanctissimo instituto ac proposito, si qui sunt, ut esse profecto quosdã scio, à Gratijs Musisq́ꝫ alienos, quiq́ꝫ nihil nouerint aliud, q̃ꝫ odisse optima oĩa: si qui inquã ea uel cæcitate erũt, uel uecordia, ut tam egregijs generosisq́ꝫ consilijs ac conatibus aut palã obstrepãt, aut taciti ac silentes inuideant, rumpãtur licet, & honesti odio, internoq́ꝫ liuore tabescãt, dum modo sciant qui liberalius & educati sunt & instituti, nihil nõ euasurũ, quod ad iuuandam rem ut speciosissimã, ita longè omniũ utilissimã susceptũ tentatumq́ꝫ fuerit. Ac ne quis fortè putet nostros istos, ac annis iam aliquot receptos iuris tum Cæsarei tum Pontificij interpretes hoc loco à me contemni, ac uelut ex eo theatro in quo iampridem collocati sunt, explodi, quid de ijs sentiam, ingenuè hic apertèq́ꝫ fatebor, neq́ꝫ aliud sanè dicam, quàm quod rogatus & priuatim respondi sæpe, & publice etiam

non minus frequenter testatus sum, fuisse ex eis uidelicet quosdã excellenti tum ingenio, tum memoria singulari, ac penè incredibili, qui & præclara multa acute excogitauerint, & inuenta ab alijs sano iudicio examinauerint. Illud etiã addo, tanta eos diligentia atq; acrimonia in suis studijs esse uersatos, ut omnino nihil eis, præter temporis felicitatẽ, defuisse existimari par sit. Quamobrem (eò enim uenimus, quò hæc potissimum spectabat oratio) uos ò optimi ac generosissimi iuuenes etiã atq; etiam hortor & obsecro, ut seculi huius, in quo nati estis, felicitatẽ, grati ac memores amplectamini, néue eis credere sustineatis, qui hæc studia tã angusto ac circũciso æuo hoc satis esse putant ei perficiendo, qui sit optimis destinatus. Vehementer, mihi credite, errant, qui ita sentiũt, si qui modo ita sentiũt. Enimuero quum doctæ ac uenerãdæ uetustatis cum scripta ac monumẽta relego (quod certe ubi licet, magna cum animi uoluptate facio) tum uero cuiuscũq; generis instituta ac mores expendo, tum demum intelligo, quantum ab ea posterior ætas degenerauerit. Plato philosophorũ omnium princeps (ut Ciceroni uidetur) in Gorgia suo multis argumentis confirmat magistratibus ac Rerumpub. rectoribus non eloquentiam modò, sed philosophiam etiam esse necessariam. Cuius discipulus Aristoteles (quem posteri in primis obseruarunt, cuiq; recentiores philosophi primas magno consensu tribuerunt) in Ethicorum libris ad filium Nicomachũ scriptis, Politicen, id est, regen

regen

regendarum ciuitatum ac iuris dicundi scientiã mancam atque imperfectam esse censet, quæ sibi philosophiæ partes omnes, dicendíq; facultatẽ, ac rei militaris scientiam socias atq; adiutrices non adsciuerit. At hodie quotusquisq; eloquentiæ præcepta scire deside rat? Imo uerò quis eam curam non ridet, non modò ut inutilem ac superuacuam, sed stultam etiam ac ridiculam? Quis hodie ex ijs etiam, qui prima obtinent ac regia tribunalia nosse studuit ea, ac intelligere, quæ de æquo, iusto, bono uero, deq; ijs, quæ sunt illis contraria, ab antiquis acute ac prudenter scripta sunt, ac nobis tradita? Quæ quanquam sunt oratori cum iurisconsulto communia, à philosophis tamen (qui eorum tractatum, id est publicam materiã priuati iuris fecerunt) sunt ea omnia petenda. Equidem neminem esse puto aut humanarum rerum ita imperitum, aut ita refractarium ac contumacem, qui Ciceronẽ in publicis muneribus obeundis uersari, aut Reipub. etiam præesse sine iuris ac legum disciplina potuisse putet. Quæ tamen ad regendam administrãdamq; Remp. pertinent, accepisse se à philosophis omnia fatetur, & pluribus libris ac epistolis testatur dicendi facultatẽ, regendarumq; ciuitatum scientiam ex intimis sapientiæ fontibus defluxisse. Neq; tamen in eam sententiã hæc dico, quòd iurisconsultos ac magistratus ad philosophorũ porticus ac gymnasia mittendos aut relegandos esse putem. Non enim eò hæc pertinent, ciuilium ut officiorum rationem omnem ab ijs petendã

 existi

existimem, qui ad Rempub. nunquam nisi inuiti ac coacti accesserunt. Sed euoluendi tamen eorum libri sunt, qui expetendarum ac fugiendarum rerum rationem nobis præscripserunt, ut non alios modo meliores magistratus faciat, aut iurisc͠osultos, sed ut utriusque uita cum diuinarum rerum humanarumq́ scientia sit coniuncta. Quid enim tam absurdum, quàm cum philosophiæ pars quædã & sit, & ab ipsis etiam iurisconsultis iurisprudentia dicatur, esse tamen iurisconsultos nonnullos, quibus philosophiæ nomen ita sit suspectũ ac inuisum, ut eo audito modò, uel protinus offendantur, uel in risus ac solutos etiam ac fluentes cachinnos, nonnunquam effundantur. Quòd si iuris ac legum enarratoribus definienda quædã sunt, quædam resoluenda, distinguẽda quædam, diuidenda, illicienda, implicãda, colligenda, quibus omnibus artis etiam cuiusq; explicatio præcipuè constat, quid iurisconsulto tam necessarium, quàm ea philosophiæ pars, quæ dialectica à Græcis, à Latinis disputatrix dici recte, ut puto, potest? Si iuris quæstio omnis, ut Fabio placet, uerborum proprietate, si æqui disputatione, si uoluntatis coniectura continetur, an non illa omnia philosophorum propria sunt, & à rationali ac morali philosophia (licebit enim mihi per uos, ut spero, duriusculis interdum uocibus docendi gratia uti) petenda ac accersenda? Quoniã uero exemplis magis quàm uel manifestis rationibus mouemur omnes: Si non egregios modo iurisconsultos ac oratores, sed il-

luſtres etiã legumlatores uno eodemq́ꝫ tempore Anaxagoræ phyſici auditores fuiſſe cõſtat: Si Academiæ ſpatĳs Cicero pluſquam Rhetorũ officinis ac ſcholis ſe debere fatetur: Si in Platonis auditorio Demoſthenes diu ſediſſe traditur, cur riuulos tantum ſectamur, abhorremus à fontibus? Neque porrò ea idcirco cõmemoro, quò me eiuſmodi artibus inſtructum eſſe, aut eruditum quiſquam fuiſſe credat. Abſum enim à ſummo illo ac planè illuſtri loco, & certe quàm longiſsime abſum, cui per fati neſcio cuius iniquitatem ad hunc uſqꝫ tam humilem gradum adrepere uix licuerit. Quando uero alĳs bonum, quo careo, inuidere nec uolo, nec debeo, nihil ingratum uobis, neqꝫ moleſtum fore ſpero, ſi adoleſcentes melioribus annis natos, excellentioriq́ꝫ ingenio, quàm quod mihi cõtigit (contigit autem perquã exiguum) præditos commonefecero, ut relicta uulgari iſta uia, inuia planè ipſa, ad antiquorum ſe exemplar ac imitationem accingant, præcipue uero caueant, ne craſſos iſtos, atqꝫ ut uerius dicam, ὄκνους ὄνους, præpoſteris literis imbutos audiãt, quorum ſicut inepta atqꝫ inerudita, ita peſtilens uox iampridem ubiqꝫ agnoſcitur, Scientiam, quæ de pane lucrando non ſit, ſcientiam non eſſe, ſed inſcitiam, ac dementiam. Iam operæpretium fuerit animaduertere, quantam in molem excreuerint inepta ſcholia, barbara cõmenta, & gloſſemata planè ſtulta iſtorum, qui hodie ſoli Iuriſconſulti nominantur: ut uere fateri neceſſe ſit, de Iuriſprudentia actum eſſe, niſi

uel lege, uel regijs edictis eorum stultitia coarguatur, uel compescatur temeritas. Quod enim disciplinæ longe omnium splendidissimæ adipiscendæ ac perdiscendæ ab initio obstare iure creditum est, id isti tam pertinaciter agunt, ut rem ab antiquis sobrie ac prudenter animaduersam ac tractatam, immẽsis, infinitisq; paginis ac libris scribendis obruere ac labefactare uelle uideantur. Didymum grammaticum, qui librorum quatuor millia conscripsisse dicitur, miserũ Seneca fuisse tradit, qui tam multa inutilia ac superuacua legisset. Ego uero nõ eos modò, qui in eiusmodi nugis somnijsq; legendis otium ac tempus omne perdunt, miseros: sed illos etiam, qui in excogitãdis, conscribendis, cõsuendis illis occupati & sunt & fuerunt, cum de studijs communibus, tum de seipsis male meritos puto. In ijs quæ à Didymo uaria ac multa scripta sunt, necesse est otiosa etiam multa fuisse, si in illis, ut quidam tradunt, quærebatur, Atheniensis ne an Rhodius, Smyrnæus an Chius, Colophonius an Salaminius Homerus fuisset: centum ne an plures uini cados abeuntibus è Sicilia Troianis Acestes dedisset. Pudica an impudica Sappho: libidinosior Anacreon an ebriosior uixisset. Sed non minus inertis otij, peruersæq; subtilitatis sunt ea, quæ de pactis nudis, uestitis, suitatibus, alijsq; non minus absurdis ac ridiculis, nullo fructu, magnoq; temporis impendio ab istis disputantur. Quæ colligere ac percensere siquis uelit, immensum ut is uolumen expleat, ineptumq;

ptumq; ac permolestũ necesse est. Legem, recte inquit Latinorum Stoicorũ princeps, oportet esse breuem, quò facilius ab imperitis teneatur, uelut emissa diuini tus uox: quoniam lege nihil frigidius, nihil ineptius, quæ cum præfatione aliqua legitur. Quòd si leges ni hil aliud sunt, quàm minis mixta pręcepta, præcepta uero omnia breuia esse debẽt: meritò hanc quoq; cõ mendationẽ ac dotem suis legibus ueteres illi legum latores adesse uoluerunt, quæ ut breuia ac circumscri pta quædam oracula ab illis & dictatę sunt, & ab ho minibus exceptæ. Lacedęmoniorum Rempub. idcirco beatam fuisse quidam scripserũt, quòd Lycurgi leges paucas, easq; breuissimas haberet, ijsq; sanctissimis uteretur. Nunc non modò innumeris, ijsdemq; su peruacuis legibus, sed eorum etiam, qui legum interpre tes uocantur, immensis paginis, cauillationibus, indu ctionibus (sic enim uulgò ab istis appellantur) am pliationibus, collectionibus, illationibus obruimur, circumscribimur, illaqueamur. Ecquis erit modus? Verum enimuero ut Didymi, ut Appionis, gramma ticorumq; ueterum permultorum scripta: ut item philo sophorum, quorum & nomina uaria fuerunt, & dispa res discordesq; familiæ, multis noctibus elucubrata uolumina aut per seipsa corruerunt, aut contempta, succedentibusq; alijs optimis ac probatissimis, negle cta interciderunt: Stoicorũ ueterum, Epicureorum, Pyrrhoniorum, Cyrenaicorum, & eorum, qui & Megarici dicti sunt, & Cretici; sic quæ multis insanisq; uigilijs

ac sudoribus aut scripta sunt ab istis, aut hodie etiam scribunt, ultro mox intercident, nascētibus iam optimis cessura. Nam quemadmodum hodieq; sunt, qui nondum eam insaniam exuerūt, ut is qui in Senatusconsulto Syllaniano explicando iam consenuisse dicitur: ita nō desunt, qui ut artium omnium, ita huius quoq; præclaræ ac sanctissimæ disciplinæ dignitatē ac splendorem nobis reddere studeant, & à barbaris uindicare. Qui scribendis in legem Aquiliam cōmentarijs paginas iam se propemodū mille gloriatur insumpsisse, & rem seriam se posteritatisq; negotiū agere putat, nō intelligit nugas suas, simul atq; editæ natæq; fuerint, uelut exitiale aliquod monstrum extinguendas. Efficere non possum, quin quod mihi, Narbonensem hanc prouinciam obeunti nuper accidit, uobis attente, ut uideo, studioseq; audientibus referam. Incidi in magnum, ac toto hoc tractu notum ac percelebrem Iurisconsultū, sed caluitio ac rustico uultu deformem: is quum me in domus suę interius cubiculū, multis prodigiosæ magnitudinis libris ac uoluminibus oppletum, inuitum ac reluctantem pertraxisset: opesq; suas (nam eas sibi solas opes esse dicebat) ostentasset, meq; infortunatum diceret, qui eiusmodi thesauros contemnerem, & Ciceronem unum assidue in manibus gestarem (habebam enim tunc Ciceronis Academicas exiguis tabellis circundatas) ego uero causam intelligere me negarem, cur quum tam raris capillis esset, innumeros tamen libros magno

g no emptos domi cõgestos seruaret: Excanduit ille, & me ex ædibus suis furens eiecit, & ne puerilia Ciceronis deliramenta domum suã referrem, grauiter est peracerbeq́ꝫ interminatus. Postridie, quum uim mihi ac iniuriam ab illo illatam quã maximè occultam esse uellem, per uiciniã sparsit uniuersam, quàm belle grãmaticum nescio quẽ, abs quo sibi caluitium esset obiectũ, accepisset. Cumq́ꝫ è uestigio ad me uenissent honesti ciues aliquot, qui impudẽter à me factum dicerent, qui iuris peritum hominem idoneum esse putassem, quem probris lacesserem: Quàm sit, inquam, legum ac iuris ciuilis peritus, nescio: parum certe ciuiliter mecum egit hesterno uesperi. Qua pudentia igitur, quo cõsilio, qua circumspectione præditi sint nõ ij modò, de quibus nimis iam multa, sed quicũqꝫ pręposteris literis elementisq́ꝫ imbuti nullam humanitatis partem attigerũt, tum demum perspicietis, quum eleganteis disciplinas, artesq́ꝫ ingenuas ad hãc, in qua uersamini, iuris scientiam adiũxeritis, uobisq́ꝫ persuasum fuerit perficiendo homini ciuili nõ unam aliquã artem satis esse, sed aureum orbem illum, ut dixi, circulumq́ꝫ ei quęrendum, qui idoneum sese ac dignum præstare uoluerit, qui ad summa tribunalia, aureisq́ꝫ interpicta lilijs aulæa adsumatur. Humanitatis autem nomen cum auditis, cauete etiam atqꝫ etiam, ne, quod nonnulli faciunt, eo poëticas modò ac rhetoricas literas intelligi putetis. Sunt illæ quidẽ perhumanæ, nec perhumanæ modò, sed sanè quàm utiles ac

necessariæ, ut quæ optimarum artium omniũ ceu se-
mina quædam interspersa habeant ac recondita. Sed
humanæ sunt & illæ ab antiquis magno studio cul-
tæ, atq; in summo honore positæ ac dignatione, quæ
liberales & sunt, & iure uocantur. Philosophiæ enim
quæ humanitatis parens est, quæq; nos à barbaris,
ab indoctis, à uulgo separat, facitq; uere ut homines
simus: uel partes illæ sunt, uel comites ac pedissequæ
unicum humani ingenij uitæq; huius (secundũ eam
quæ nobis è cœlo data est, doctrinam) ornamentũ ac
præsidium. Quas qui amplectunt & amant, idipsum
assequuntur tandem, quod est in studijs omnibus, in
omni actione, in omni uitæ genere longe primum ac
præcipuum. Iudicium dico, quo uera à falsis, syncera
ab adulterinis, germana à nothis, perfecta ab inchoa-
tis, exculta ac perpolita à rudibus, solida ab infirmis,
sana à languentibus, à caducis stabilia, uitia deniq;
ipsa à uirtutibus internoscuntur. Hoc excutiuntur
latentia, eruuntur abdita, illustrantur obscura, perple
xa explicantur, nodosa soluuntur, sparsa colligũtur,
confusa distinguuntur, expediuntur impedita, leuan
tur aspera, obliqua reguntur, fluentia sistuntur, repo-
nuntur luxata, luxuriantia cõpescuntur, ægra sanan-
tur, sedantur turbulenta. Deniq; hæc ipsa seu uirtus,
seu habitus quidam, ut philosophi loquũtur, dictorũ,
factorum, actionum, studiorũ, actuum ac disciplina-
rum omnium amussis est quædã, regulaq; ac norma
certissima. Cuius etsi in natura principium est positũ
ad

ad eamq; animæ partem proprie pertinet, quæ cū generosa ipsa ac nobilis, tū diuina etiam à philosophis censetur, & à ratione, quæ sua propriaq; est hominis, nomen habet: arte tamen præceptisq; ac lectione, meditationeq; iuuatur. Ab ipsa uero Iurisprudentia eiusq; studio ita acuitur ac perficitur, ut ad eam tandem rationē accedat, quæ sapientis est hominis, & sapientia etiam appellatur. Sed mementote tamen philosophię decretis id præcipue deberi, quæ, ut ego quidem iudico, obscuratā in nobis naturalem illā indolem ac lucem, peneq; oppressam restituunt, ingeniiq; uim non aliter exuscitant, quàm quo modo leui adiuta flatu scintilla ignem ipsa suū explicat, ac in lucem emicat ac flammam. Inter enim philosophorū placita ea duntaxat quæ ad formandos mores pertinent, & leges humanas, nihil omnino interesse autor est Plato: nisi quòd illa ad præcepta illa quæ Catholica, id est uniuersalia uocantur; hæ ad ea quæ specialia ab istis dicunt, propius putātur accedere. In utrisq; naturæ leges quasdā uidere est, quæ præceptis scriptisq; rationibus alunt & formantur. Semina enim illa nobis à Natura optima parente insita, cultu ac diligētia iuuantur, & adolescunt; inculta, in filicem loliumq; degenerant. Iure igitur sapientes appellandi sunt, qui iurisprudentum responsis adiuti, multa cauent multis, consilioq; ac iudicio cunctis mortalibus prodesse student ac cōsulere. A Iustitia quidem uiri boni olim nominati sunt. Sed quoniā sine Iudicio Iustitia

ipſa conſtare non poteſt, uir bonus is exiſtimandus eſt.

Qui conſulta patrum, qui leges iuraq́ꝫ ſeruat,
Quo multæ, magnæq́ꝫ ſecantur Iudice lites,
Quo reſponſore, & quo cauſæ teſte tenentur.

Quod ſi cum induſtria ac labore iudicum etiam ſecum ad interpretandas ueterum leges attuliſſent noui iſti magiſtri, ſyncerius multo multoq́ꝫ purius ciuile tractaretur. Sed quibuſdam tempora, quibuſdam etiam defuit illud ipſum, ſine quo nihil recte fieri poteſt, iudicium. Agite igitur probi adoleſcẽtes, Vosq́ꝫ uiri ornatiſsimi, Agite, & ſeculi huius, in quo nati eſtis, felicitate perfrui ſtudete, laudemq́ꝫ eam, quæ ſano rectoq́ꝫ iudicio præditis hominibus debetur, ex optimorũ lectione, ex honeſtis, recteq́ꝫ conſtitutis artibus parate, uobisq́ꝫ ita perſuadete, neq́ꝫ diuturna fore, neque diu uictura, quæ male inſtituta ſunt ſtudia, ſed intermoritura mox, ceſſuraq́ꝫ melioribus.